



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Sanderi Angli Doct. Theol. De Origine Ac
Progressv Schismatis Anglicani Libri Tres ...**

Sander, Nicholas

Coloniæ Agrippinæ, 1610

Rervm Pro Religione Catholica Ac in Tvrrri Londinensi gestarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64680](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64680)

REPERIUNTUR

RERVM PRO RELIGIONE CATHOLICA AC IN TVRRI Londinensi gestarum.

Ab Anno Domini 1580. ad Annum vsque 1585. Indiculus seu diarium.

Ab eo obseruatum atque collectum qui toto illo tempore captiuus interfuit.

P R Æ F A T I O.

Carceres Londinenses & eorum nomina.

Præter eos carceres in ciuitate Londinensi, qui alios in vsus referuntur (cuiusmodi est Ludgatum honestioribus tantum ciuibus ob debita assignatum) vndecim sunt omnibus publicis & capaces; in quos, omnis ferè generis, sexus & ætatis homines, his diebus ob dei Catholicæ confessionem conijciuntur. horum nomina sunt, porta Vestmonasteriensis, Flitum, Neugatum, Briduelum, Contort duo, Bancus regius, Muriscalcaum, Vir lionis, Clincum, & Turris siue Castrum. In quorum postremo, cum ipse singulari Dei beneficio, eo solo nomine quòd Ecclesiæ Catholicæ sacerdos essem, quatuor annis & amplius detentus fuerim, variasque rerum, temporum, afflictionum vicissitudines subierim, mortis sententiam tandem acceperim (quam tamen postea exilio commutarunt) existimaui, rem me facturum non inutilem, nec à Dei gloriæ seruitioque alienam, si quæ præsens in illo carcere notaueram, per dies distincta, licet traderem. Hinc enim Christianus lector, comparatione

parat
relic
inde
verfa
bus h
quibu
cilè in
pro fic
Ve a
dum e
pellan
quifqu
propri
obfer
consp
merciu
intercl
loca or
sunt (e
libidin
minetu
Supp
ticular
benur
nera : c
ca que
dine p
cubicu
vix hor
guarec
larunt
quibus
bra in c
Scavin

paratione facta vnus huius carceris cum reliquis decem illius ciuitatis; & illorum deinde, cum cæteris omnibus quæ sunt in vniuersa Anglia; quatuor etiam annorum, quibus hæc contigerunt, cum viginti & septem quibus Elizabetha regnauit: coniecturam facile inire poterit, quot & quanta Catholici pro fide in illo regno passi sint & patiantur.

*Huius Die
conu.*

Vt autem res melius intelligatur, sciendum est illud huic carceri quem Turrim appellant, præ cæteris esse peculiare, vt captiuus quisque suum habeat cubiculum seu carcerem proprium, propriumque custodem, qui illum obferratum semper teneat, cæterorumque à conspectu & colloquio arceat, omneque commercium tam per literas, quam per nuncios intercludat. Ex hoc deinde cubiculo ad alia loca omnia educitur, siue supplicia adeunda sunt (quæ varijs temporibus pro persecutorum libidine Catholicis infliguntur) siue vt examinetur aut quæstioni subijciatur.

*Quæ sunt
peculiaria
Turris Londæ
dinensis.*

Suppliciorum autem, siue afflictionum particularium, quæ modo huic, modo illi adhibentur, septem in hoc carcere numerantur genera: quorum primum est, Lacus siue spelunca quedam subterranea, viginti pedum altitudine profunda, sine lumine. Secundum est cubiculum quoddam seu antrum arctissimum vix hominem erectum capiens, quod ab exigua requie quam præstat, Litilesum appellant. Tertium est equuleus, quo, machinis quibusdam rotisque ligneis, hominis membra in diuersa distrahuntur. Quartum vocant Scavingeri filiam, ab inuentore opinor deducto

*Septem sup
pliciorum
genera.*

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.

cto

5. Et nomine; constat autem ex circulo ferreo, qui manus pedesque & caput in vnum orbem compingit. Quintum est ferrearum chirothecarum, quibus manus grauiſſimo cruciata inuoluuntur. Sextum est vinculorum quae brachijs gestantur. Septimum denique Compedum ferreorum qui aptantur pedibus. his cognitis facile intelliguntur caetera quae in Diario sequuntur.

Admonitio. Illud tantum admonendum est me hoc indiculo ea solum complexum esse, quae religionis causa, Catholicis inflicta fuerunt; quaeque ad meam notitiam, (qui separatim à caeteris custodiebar) peruenire potuerunt; caetera suo tempore ab alijs annotata prodibunt. Interim Christiane lector, haec pauca sufficiant ad charitatem tuam excitandam, ut pro patria nostra tam afflicta Deum roges. Vale.



DIARIUM